

Quaedam de phlegmasiae albae dolentis pathologia. Dissertatio inauguralis medica ... / auctor Henricus Gothofr. Grimm.

Contributors

Grimm, Henricus Godofredus, 1804-1884.
Royal College of Physicians of Edinburgh

Publication/Creation

Berolini : Literis Augusti Petschii, 1826.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/gjjfz2vz>

Provider

Royal College of Physicians Edinburgh

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by the Royal College of Physicians of Edinburgh. The original may be consulted at the Royal College of Physicians of Edinburgh. where the originals may be consulted.

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

QUAEDAM
DE
P H L E G M A S I A E
ALBAE DOLENTIS
P A T H O L O G I A .

D I S S E R T A T I O
INAUGURALIS MEDICA,
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI,
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR,
DIE VI. M. OCTOBRIS A. MDCCCXXVI.

H. L. Q. S.

PUBLICICE DEFENSURUS EST
AUCTOR
HENRICUS GOTHOFR. GRIMM,
HALBERSTADIENSIS.

OPPONENTIBUS:

C. BAHN, MED. ET CHIR. DD.,
M. GEISLER, MED. ET CHIR. DD.,
L. NISLE, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI,
LITERIS AUGUSTI PETSCHII.

OF THE
MUSEUM OF NATURAL HISTORY
AT THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PLANTAS
DE LA SIERRA DE

LA SIERRA DE
LA SIERRA DE

J. T. SWIFT

PLANTAS DE LA SIERRA DE
LA SIERRA DE

PLANTAS

PLANTAS DE LA SIERRA DE
LA SIERRA DE

R35642

VIRO

ILLUSTRISSIMO, AMPLISSIMO,

J. F. NIEMANN,

**UTRIUSQUE MEDICINAE DOCTORI, REG. BORUSS. REGIM. ET RERUM
MEDICINALIUM CONSILIARIO, EQUI TI ETC. ETC. ETC.,**

FAUTORI

SUMME VENERANDO,

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

INTRODUCTIO.

Phlegmasia alba dolens in eorum est morborum numero, qui demum recentioribus temporibus et observati et accuratius descripti sunt. Franco-Galli primi hujus morbi mentionem fecerunt: antequam omnes, qui nominetur, est *Mauriceau* ¹⁾ dignus, qui saeculi prioris initio de hoc morbo, ab ipso „*enflure des jambes et des cuisses de la femme accouchée*” nominato, bene copioseque disseruit. — Post eum *Puzos* ²⁾ hunc morbum atque ea, quae in eo accidere solent, accuratissime descripsit. — Quae postea in hac re sunt elaborata, in scriptis Franco-Gallorum obstetriciis, ut *Leveti* ³⁾, *Raulini* ⁴⁾, aliorumque, qui cum *Puzos* plerumque consentiunt, reperiuntur. Inter Anglos vero *C. White* ⁵⁾ primus de hoc morbo scripsit, nec non post eum huic perquirendo investigandoque malo *Hull* ⁶⁾, *Davis* ⁷⁾,

1) *Traité des maladies des femmes grosses et de celles, qui sont accouchées.* Quinz, édit. à Paris 1718.

2) *Traité des Accouchemens.* à Paris 1759. — *Mémoires sur les dépôts laiteux.*

3) *L'Art des Accouchemens démontré par des principes de Physique et de Mécanique.* Ed. III. à Par. 1766.

4) *Maladies des femmes en couche,* à Paris 1771.

5) *Untersuchung der Geschwulst der Kindbetterinnen an den untern Gliedmaßen.* N. d. Engl. Wien 1785.

6) *An Essay on Phlegmatia alba dolens etc.* Manchester. 1800.

7) *Ueber die nächste Ursache der Phlegmasia alba dolens* in *L. F. v. Krortep's Notizen aus dem Gebiete der Natur- und Heilkunde.* Bd. VI. Erfurt 1823. Nr. 124. Seite 215.

Simmons, Wyer, Moore, Sankey ¹⁾ *Burns* ²⁾ aliique plures operam navarunt. — Americanorum quoque, qui de hoc malo scripserunt, non exiguus est sane numerus: inprimis *Hosack, Malcolm* ³⁾, *Bord*, aliique plures excelluerunt.

Germaniae medici de cognoscendo et curando hoc morbo bene sunt meriti: prae ceteris vero *Boer* ⁴⁾, *Sachtleben* ⁵⁾, *Cel. Casper* ⁶⁾, *Albers* ⁷⁾, *Carrus* ⁸⁾, et *Illustr. E. a Siebold* ⁹⁾, nominis laude sunt digni. Recentissimam denique et copiosissimam Phlegmasiae albae dolentis expositionem priori anno *Celeb. Struve* ¹⁰⁾ attulit.

Morbo autem, de quo nunc disseritur, nomina maxime varia data a scriptoribus sunt. Modo Phlegmatia, modo Phlegmasia alba dolens nominatur, cum alii e dispositione phlegmatica, alii ex inflammatione causam mali duxerint. Alia nomina sunt:

¹⁾ *Horn's Archiv für medizinische Erfahrung* 1c. Jahrgang 1819. Juli und August.

²⁾ *Grundsätze der Geburtshülfe. N. d. Engl. von E. H. G. Kdly in. Stettin 1820. S. 607.*

³⁾ *The American med. Recorder. Philadelph. Vol. I. Octobre.*

⁴⁾ *Abhandlungen und Versuche geburtshülftlichen Inhalts. Wien 1792. Tbl. II. S. 119.*

⁵⁾ *Anmerkungen und Beobachtungen über die Natur und Heilung der Milchversehungen in F. Ch. Stark's Archiv für die Geburtshülfe 1c. Bd. II. St. 2. Jena 1789.*

⁶⁾ *Commentarius de Phlegmatia alba dolente. Hal. 1819.*

⁷⁾ *Hufeland's Journal der praktischen Heilkunde. 1817. St. 2. S. 13. et St. 6. S. 46.*

⁸⁾ *Lehrbuch der Gynäkologie. Leipzig 1820. Theil II. Seite 556.*

⁹⁾ *Handbuch zur Erkenntniß und Heilung der Frauenzimmer-Krankheiten. Frankf. a. M. 1826. Bd. II. Abschnitt 3. Seite 666.*

¹⁰⁾ *Commentatio de Phlegmasia alba dolente. Tübingae 1825.*

Oedema lacteum, Oedema puerperarum (*Callisen*), Ischias a Sparganosi (*Sauvages*), Scelalgia puerperarum. Apud Franco-Gallos nominatur depôt lacteux (*Puzos*), infiltration laiteuse, enflure des jambes laiteuse (*Mauriceau*); — apud Anglos swelled legs, the swelling of the lower extremities etc.; apud Germanos: „*weisse Schenkelgeschwulst*” seu „*Schenkelschmerz der Wöchnerinnen*” (*Boer*) appellari solet.

Phlegmasia alba dolens haud dubie rarius accidere solet, quo factum est quoque, ut de ejus natura tam variae sint auctorum tamque discrepantes sententiae. Quid? quod multis medicis in longa amplexu praxi omnino non, vel rarissime tantum id malum observare licuit. Se nunquam hunc morbum vidisse, *Joerg* ipse dicit in libro suo: „*Handbuch der Krankheiten des Weibes. Leipz. 1821. S. 896.*” — *C. White* autem e mille octingentis nonaginta septem feminis, quae in „*Westminster General Dispensary*” partum enitebantur, quinque tantum, et ex octo millibus feminarum, quas et in publico nosocomio obstetrici Mancunii et in domiciliis ipsarum in partu adjuvit, quatuor tantum esse implicitas morbo, notavit. *Thomas* ter, *Albers* et a *Siebold* quinque morbum sibi occurrere, narrant.

Hic morbus plerumque quidem puerperas, sed gravidas etiam, virginesque et viros invadit. Gravidas hoc malo affectas *Sachtleben*¹⁾, puellam sedecim circiter annorum *Struve*²⁾, viros autem cum phlegmasia alba dolente *Sankey*³⁾, *Purdy*⁴⁾, *Struve*⁵⁾ aliique observarunt.

¹⁾ In *Starck's Archiv für die Geburtshülfe. Bd. II. St. 2. Jena 1789.*

²⁾ l. c. pag. 91.

³⁾ l. c. pag. 212.

⁴⁾ *Mediz. chirurg. Zeitung. 1819. Bd. III. S. 78.*

⁵⁾ l. c. pag. 93. et 104.

SYMPTOMATA ET DECURSUS MORBI.

Fit plerumque, ut inter decimum et quintum decimum, interdum inter tertium et decimum diem, rarius inter tertiam sextamque hebdomadem post partum febris magis minusve acris puerperam accedat. Febris continua remittens esse solet; rarius est intermittens ¹⁾. Juncta sibi plerumque symptomata gastrica habet, modo nervosae, modo inflammatoriae, saepius ambiguae indolis est, neque raro, inprimis, si morbus longius ducitur, neque diathesis phthisica deest, in febrem hecticam transit.

Incipere, sicuti pleraeque aliae febres, a frigore aut horrore et ipsa solet, quod White et a Siebold, ab aliorum medicorum opinione discrepantes, rarissime tantum fieri concedunt, vel omnino negant. Caput grave quidem est ac paullisper dolet, neque tamen prae ceteris affligi solet. Deliria, si quando animadversa sunt, levissima sane fuerunt. Crebrius autem, qui hoc morbo correpti sunt, pervigilio excruciantur. Respiratio molesta esse non solet; interdum autem anxietatem saepiusque tussim animadverterunt. Prae ceteris organa digestionis inservientia morbo corrumpuntur. Plerumque lingua humida mucosae albo, rarius luteo, foedatur; pravo vel amaro oris sapore matutinis praesertim horis aegroti afficiuntur, cibum fastidiunt atque aversantur; hypochondria haud raro intumescunt; ructus et inflatio ventris, saepissimeque nausea aut vomitus ipse accedit. Alvus stricta est aut fluit et juncta sibi plerumque tormina habet atque dejectiones biliosae sunt et foetidissimum exspirant odorem. Situs et aestus magis minusve urgent, cutis plerumque hu-

¹⁾ *Struve* (l. c. pag. 12.) febrem intermittentem quartanam observavit.

mescit; neque raro sudores profusi observantur. Pulsus frequentes ¹⁾ nonagies vel centies quadragies sexagesima horae parte redire et parvi mollesque esse solent. Haud crebro pulsum inflammatorium observantur. Urina semper fere turbida est. Lochiorum fluxus et lactis secretio saepius praeter naturae ordinem minuuntur; omnino autem ambo deficere puto fere nunquam ²⁾, lochia vero interdum copiosiora foetidumque odorem largientia fluere, haud raro observantur.

Jam si una vel, quod rarius accidit, plures febris accessiones praecesserunt, malum topicum manifestatur. Initium ex consuetudine a vehemente, pungente, vel acri dolore capit, qui plerumque a regione hypogastrica alterius utrius lateris, interdum ab osse sacro exortus, per cruris longitudinem ad pedem usque extenditur ac unum tantum latus occupare solet. Haud crebro a poplite dolor effusus deorsum ad digitos pedis sursumque ad femur atque abdomen obrepit ³⁾. — Extremitatibus superioribus axilla plerumque dolorem largitur. Interdum dolor aut nervi cruralis aut obturatorii directionem sequitur. Neque affecta pars ponderosa et quasi emortua non sentitur. Hosce dolores haud crebro tormina atque alvus stricta, alias intumescencia dolens alterius utrius, raro utriusque labii pudendi externi antecesserunt. *Burns* ⁴⁾ excitatum

¹⁾ *Meisner* in *v. Stebold's Journal für Geburtshülfe*, se jam centum quinquaginta pulsus numerasse, prodit.

²⁾ Casu quodam, quem ipse observavi, lactis secretio non sublata quidem, sed tam parca tamen erat, ut puerpera infanti mammas porrigere non posset.

³⁾ Regio inguinalis, poples et sura prae ceteris indolescere solent.

⁴⁾ *l. c.* pag. 607.

antea uterum maximeque sensibilia esse organa in pelvi sita opinatur.

Dolorem, ubi magis minusve diu ¹⁾ diversoque gradu duravit, tumor subsequitur, ut ille, e diversis regionibus nascens. Modo enim a regione hypogastrica, vel inguinali, modo ab altero vel utroque labio pudendo externo ²⁾ exoritur, et, aut celerius uno vel altero die, aut, id, quod haud crebro fit, tardius, intra sextum et quartum decimum diem totam alterius lateris extremitatem occupat. Interdum tumor a poplite suraque exorditur, ac inde sursum deorsumque tendit. Nec in hisce, quas modo nominavi, partibus persistit, sed amplificatur, lumbosque et nates obit. Sunt quoque, qui ventris integumenta intumescencia viderint. Dolores, qui, cum tumor oriretur, paullulum mitescebant, cum ejusdem incremento ita augentur, ut tactum nec levissimum quidem, neque minimum cruris motum permittant. Quo majorem dolores gradum pertinent, eo minor evadit mobilitas cruris, donec omnino aufertur. Simul quoque in partibus affectis calor augetur; febris vero cum tumoris incremento recrudescere videtur. —

Neque raro crus affectum magnopere intumescit, vel adeo, ut altero evadat duplo (*White*) vel triplo (*Casper*) crassius. Tumor aequaliter tensus et elasticus apparet, digito renititur alboque nitore candet. Evenit quoque interdum, ut in eodem maculae (*White, Casper*) vel striae rubrae cernantur. Tumor partium situ non mutatur; incisus aut nihil,

¹⁾ Tumorem et uno et pluribus post exortum dolorem praeterlapsis diebus oriri, observatum est.

²⁾ Quamquam igitur *White* prope suo jure non nisi alterum corporis latus tumore affici contendit, una tamen et alterius lateris partes tumidas interdum videmus.

aut perlucidum non coagulatum lymphaticum humorem, effundit.

Tumor cum summum perfectionis gradum, circiter duorum vel quatuordecim dierum spatio, nactus est, eodem, quo incessit, modo, recedere solet, dum omnia symptomata mitigantur. Tumoris magnitudo imminuitur, febris remittit. Tumor hoc tempore inaequalis fit; et imprimis in sura, poplite, femorisque interiori latere noduli sive funiculi duriusculi tactu percipiuntur. De illorum vero nodorum natura magnam inter medicos dissensionem et opinionum varietatem invenimus. Quibusdam indurata vasa lymphatica, aliis musculorum contractiones, aliis diffusa in telam cellulosa spissataque lymphata habentur. Temporis, quo crus detumescit, spatium multum differt; dies, hebdomades, quid? quod menses priusquam omnis evanuit tumor, elabuntur.

Sed post febrem et tumorem imminutos diu rigiditas quaedam minorque sensibilitas affectae antea partis perdurat, neque raro, postquam jam diu tumor evanuit, dolores remanent.

Interdum cum ab altero crure recessit tumor, sub nova febris accessione alterum invadit, eodemque ipsi proprio modo incedit. Tumorem ejusdem lateris redire, rarius observatur¹⁾. Nec non superiores extremitates interdum intumescunt²⁾. *Meissner*³⁾, cum post trium mensium curationem sinistri lateris tumor disparuisset, quinque praeterlapsis hebdomadibus alterum corporis latus tumidum observavit. *White*⁴⁾ nullibi nisi in partibus extremis inferioribus tumorem vidit.

¹⁾ *Burns* l. c. pag. 610.

²⁾ *Callisen* systema chir. hodiern. Hafn. 1817. pag. 22. — *Casper* l. c. pag. 58.

³⁾ v. *Stiebold's Journal für Geburtshülfe*. Bd. IV. Heft 1. Seite 82.

⁴⁾ l. c. pag. 12.

Totius morbi decursus aut citius hebdomadam plurium spatio absolvitur, aut tardius per menses subrepat; qua aliorum quoque symptomatum ratione habita, certisque quibus quidque genus conspicuum sit, signis redeuntibus discerni plura hujus morbi genera, statuique et acutum et chronicum, fortasse probatur.

In viris et mulieribus jam ex longo tempore partum non enixis morbus eodem modo decurrit, atque iisdem, quibus in puerperis symptomatibus, exceptis iis, quae ad puerperium spectant, manifestus redditur.

EXITUS ET EFFECTUS MORBI.

Perfecta valetudinis restitutio, sane prosperissimus omnium eventus, dolendum est, quod rarissime tantum observatur. Quo casu febris remittit, dolores mitigantur planeque evanescent, tumor discutitur: atque modica omnium symptomatum immutatione lento gradu valetudo redit. Certa, quae hunc exitum indicent, signa critica vix reperiuntur, nisi forte febris remissio quibusdam signum faustum habeatur: cui vero fides haberi omnino non potest, cum febris et affectio singularum partium haud parem inter se relationem habeant. Callisen eruptione vesicularum in tumore morbum dijudicari observavit. Aegrotae plerumque sensim longo temporis spatio convalescunt. Etiam si enim dolores sublatis sunt, tamen cruris intumescencia saepius remanet nec non denique in oedema pedum transit. Quod si non contingit, diu rigiditas articulorum atque musculorum, quae a diffusa in telam cellulosa circum genu interque musculos coactaque lympham oritur, perdurat. Aliis debilitas quaedam affectarum partium, omnibus hisce autem saepe claudicatio per hebdomades, menses, vel totam vitam relinquitur.

Interdum, sed rarius, accidit, ut tumor in abscessum vel lymphaticum, vel suppurantem trans-eat. Hoc genus a *Purdy, Malcolm* ¹⁾, *Burns, Casper, Struve* et me ipso, illud in antibrachio ab *a Siebold* observatum est. Utrumque autem maxime est incommodum, cum, si gravius sit, admodum vires debilitentur, idque, praesertim, si jam ante suppurationem morbus diu duraverat, ut multo tardius ad integritatem aegrotae perveniant, efficiatur.

Gangraenam induci *Burns* ²⁾ et alii observarunt.

Mors, cum jam suppuratio vel gangraena supervenerunt, febre hectica viriumque defectione interdum adducitur. Plerique tertio, quarto, septimo, vel nono die mori dicuntur. *Burns* ³⁾ interdum contentiones, quas aegrotae subibant, prosecutam mortem esse, enarrat. *Davis* ⁴⁾ mulierem, quae, febre puerperalem perpessa, phlegmasia alba dolente afficiebatur, cibo sumto, cum in lecto se erigeret et vehementius rideret, mortem relabi conspexit. —

CADAVERUM SECTIONES.

Dissecta demortuorum ex hoc morbo cadavera quid ostenderint, praeter *Casper* ⁵⁾ et *Davis* ⁶⁾, nisi fallor, nemo descripsit. Ille de casu ab ipso laudato refert, ligamenta uteri lata conspicua vasorum copia, interiorem uteri superficiem lividam, mollem, gangraenosam, orificium uteri et vaginam quasi spongiosa, livida gangraenescentia, hepar solito ma-

¹⁾ Casu a *Malcolm* enarrato tanta erat suppuratio, ut vel tendines delerentur.

²⁾ l. c. pag. 609.

³⁾ l. c. pag. 610.

⁴⁾ l. c. pag. 217.

⁵⁾ l. c. pag. 54 et 55.

⁶⁾ l. c. pag. 216, 217 et 218.

jus, mollitum, facile fuisse comprimendum. Praeterea telam celluloseam sub cruris cute et in pelvi paullisper turgidam, et subfusco, inodoro latice ubique suffusam, glandulas inguinales tumidas sanguineque impletas, vasa autem cruris majora nervosque integros fuisse. *Davis* quatuor casus enarrat, ubi exitium lethale phlegmasiam albam dolentem finivit. — Semper uterus prope naturalis cernebatur; neque primo casu, ubi *Lawrence* corpus disseccavit, quasi pallidus, vasaque ejus contracta non conspiciebantur. Glandulae inguinales aut sanae aut tumidae, nunquam autem rubentes inveniebantur. Singulo casu vasa absorbentia usque ad regionem lumbalem aliquantulum dilatata, alioquin autem juxta naturae modum erant. Venae: cruralis, iliaca externa et communis pluries; unico autem casu praeter eas vena renalis quoque et vena cava inferior inflammatione correptae esse videbantur. Primo casu vasa illa obturata erant substantia quadam, quae extrinsecus sanguini simillima erat, *Lawrence* et *Davis* autem lympa plastica processu inflammatorio exsudata habebatur. Venarum autem membranae crassiores ¹⁾ et rubore suffusae nec non cum proximis partibus saepius conglutinatae erant. Cavitates autem vasorum substantia rubicunda, coagulo foliato, aneurysmatico simili, oclusae erant. Mediae huic cavum inerat, quod aliquid purulenti, subfusci vel rubri, humoris continebat.

DIAGNOSIS.

Quae adhuc de Phlegmasia alba dolente dixi, cum, ut mea opinio fert, sufficiant, ex quibus probe hunc morbum cognoscamus, nil fere reliquum est,

¹⁾ Singulo casu tanta membranorum crassitudo erat, ut dimidio minus vasis lumen appareret.

nisi ut de iis morbis, qui illius prae se speciem ferunt ideoque facile cum eo permutantur, disseram, nec non quae inter hos et illam intersint, exponam. Huc referuntur:

1. **PSOÏTIS**, cui stadio dolorum neque, si in illo abscessus in femore ex pure illius congesto exoritur, intumescendiae stadio similis non esse videtur. Distingui tamen facile possunt. Psoïtidem enim fixus, gravis ardensque, in regione lumbari et psoae dolor cum rigiditate vel impedito femoris lateris affecti motu conjunctus probat. Femur ipsum postea vel plane rigidum fit, vel truncum versus incurvatur, neque extendi potest, ita ut aegrotum vel claudicare vel itione abstinere oporteat. — In Phlegmasia alba dolente vero dolor mox regionem inguinalem totumque crus femurque occupare; imminuta autem mobilitas et claudicatio demum aucto latiusque extenso dolore apparere: eundi vero potestas conspicuo demum tumore tolli solet. —

Quod ad abscessus similitudinem spectat, ille, psoïtidem subsequens, indolentia et fluctuatione tactu bene exercitato, etiamsi altius sub fascia tota femoris pus versaretur, facile percipienda, bene distinguitur.

2. **OEDEMA**. Abs quo per signa, quae sequuntur, discernitur. Oedema molle est neque vel maxime intentum, digito renititur, tactum massae paniceae simile videtur, impressique digiti tanquam vestigii foveam, quae non statim, sed paullatim modo, expletur, ostendit, frigidus et sine dolore est, atque lentius et ex consuetudine a pede exordiri solet. Erecto corporis statu oedema deorsum nutat, strato autem in lecto corpore aequatur; quo, cum acus infigitur, serosi laticis aliquid exit. — Hydrops cellulosus puerperarum, qui totum corpus occupat, praeterea vero oedematis signa habet, si ad colorem spectas, phlegmasiae albae dolenti affinis esse dicitur.

3. PNEUMATOSIS HYSTERICA. Per hanc tumor intelligitur, qui in mulieribus hystericis animi motibus, refrigeratione, aliisque causis interdum exoritur eoque a Phlegmasia alba dolente discernitur, quod citius prodit et abit, atque sine ordine decurrit.

4. VARICOSITAS VASORUM ABSORBENTIUM. Haec rarissimis morbis adnumeratur, et semel a *Soemmering* ¹⁾ in muliere, quae bono succo scatebat et affecta genu ankylosi erat, observata est. Quo casu vasa absorbentia adeo dilatata conspiciebantur, ut quasi oedematis quoddam genus efficerent. Quod cum acu aperuisset, impetu quodam lymphæ prorupit. — Neque mihi, cum in nosocomio caritatis hujus urbis medici inferioris munus administrarem, hujus morbi conspiciendi occasio defuit. Quum enim ad hydropem ascitem, quo *Claus* quidam, sartor, jam aliquamdiu alternis modo remittente modo ingravescente laboraverat, XV. die Decembr. A. MDCCCXXV. oedema pedum accederet, haud longo temporis intervallo ille quoque morbus supervenit. Vasa resorbentia ad magnitudinem, qua in corvis vel anseribus pennarum caules sunt, dilatata et funiculis nodosis similia erant, quae, imprimis in inferiore femoris latere conspicua, usque ad regionem inguinalem serpebant. Praeterea utraque pars extrema inferior oedemate tumebat: cutis intenta et nitida erat; digiti impressi vero vestigium demum sero disparebat. Tumor ne minimos quidem dolores ciebat et usque ad mortem, quae M. Januar. h. a. secuta est, incresebat. Cadaveris sectio, quam ipse instituebam, morbi naturam nos recte cognovisse docebat. — Indolentiae igitur et symptomatum oedemati priorum atque vasorum resorben-

¹⁾ De morbis vasorum absorb. Traj. ad Moenum 1795. pag. 44. §. 22.

bentium tantopere dilatatorum, ut oculis facillime cognoscerentur, ratione habita, levi negotio hunc morbum a Phlegmasia alba dolente internosci puto. —

Emphysema autem, Erysipelas exanthematicum, Pseudoerysipelas Rustii, Induratio telae cellulosae, Elephantiasis, Ischias, Coxalgia et Rheumatismus, num cum Phlegm. alba dol. quacum illi morbi alius aliud symptoma commune habent, confundi unquam possint, dubito, quam ob rem, quae sit illorum morborum natura et quomodo a phlegmas. alba dol. differant, explicare hoc loco, supervacaneum putavi.

AETIOLOGIA.

Cum multorum morborum, tum hujus causae maxima in obscuritate versantur, quam illustrare eo difficilius est, quo rarius is morbus observatur. Involventes auctorum, qui de phlegmasia alba dolente scripserunt, libros, cum ad causarum disquisitionem pervenimus, hanc praecipue partem negliger tractatam intelligimus et vel in iis, qui plures casus observarunt, multum desideramus. Quod si igitur cogitamus, experientissimos viros et acutissimos morborum scrutatores satisfacere hac in re non potuisse, spero, fore ut, si de eadem re reprehendar, facilius mihi ignoscatur, qui neque experientia neque ingenii acumine judiciiue praestantia illis par sim.

Antequam vero ad exponendam hujus morbi causam proximam me verto, necessarium mihi videtur, de causis remotis, primo de disponentibus, deinde de occasionalibus, disputare. Quamquam morbus, ut supra jam memoravi, in viris quidem atque virginibus et mulieribus, quae jam multo ante pepererant, cernitur, saepissime tamen puerperas invadit, ita, ut e quinque hominibus, qui morbo affli-

guntur, quatuor ut *Struwe* ¹⁾ computavit, puerperae sint. Itaque rationi nihil magis consentaneum illa, ad quam omnes fere adeunt, opinione est, inprimis puerperio magnam in illum morbum proclivitatem gigni. Qualis est vero illa proclivitas et unde oritur? Notum est, in graviditate, ubi organismus muliebris non se solum, sed praeterea foetum nutrire debet, vasorum lymphaticorum et sanguiferorum actionem, omnino vitam reproductivam auctam esse, ideoque plus succi, quam utero non gravido, parari, eumque praesertim in viscera ventris importari. A partu autem insignis quaedam in corpore animali mutatio accidit, qua illa vita reproductiva aucta et illi succi nutrientes, qui ad uterum nutriendi foetus causa ferebantur, illico ad mammas convertantur lactisque secretio oriatur. Neque eo secius tamen plus succi paratur, quam et lactis secretionem et lochiorum fluxum consumitur. Mutationibus, quas corpus femineum, graviditate, partu, et puerperio subit, feminae in inflammationes, ideoque in Phlegmasiam albam dolentem, proniores redduntur, quae, ut infra demonstrabimus, in inflammatione eaque vasorum lymphaticorum consistit. — Proclivitas vero illa communis eo major erit, si gravidae vel puerperae sanguine abundant et multum chylum ac sanguinem parant; augetur etiam liberaliori, nimis alente et excitante victus ratione, multo somno et deficiente exercitatione — quae omnia ejusmodi sunt, ut vitam reproductivam augeant, atque lymphae et chyli in vasa lymphatica confluxum efficiant, quod insoliti stimuli modo vasa lymphatica irritat et ad inflammationem procliviora reddit. — Ut vero gravidae et puerperae graviditate et inprimis puerperio, ita virgines, mulieres non gravidae

¹⁾ l. c. pag. 30.

et viri illis potissimum rebus ad hunc morbum disponuntur, quae, quantum ad id necessarium est, reproductionis et prae ceteris vasorum lymphaticorum actionem nimis adjuvant. Itaque ex hoc ordine homines hic morbus infestare solet, qui desidiae dediti et curis liberi sunt, diaeta nimis nutriente nimisque excitante utuntur neque a vino et cerevisia fortiore abhorrent. Haud raro in scrophulosis hominibus observatur. — Jam cum phlegmasiam albam dolentem e consuetudine in extremis partibus inferioribus oriri videmus, eo explicare rem possumus: 1) quod in gravidis uterus foetu intumescens vasa lymphatica in pelvi comprimit eoque lentum humorum fluxum efficit, vasa nimis irritat atque hoc modo communem illam in inflammationes proclivitatem a ceteris corporis partibus revocatam in pelvi et femore quasi conjungit; 2) quod in partu pleraeque, quas novimus, causae occasionales facilem ad organismum sibi aditum parant. — Quod vero morbus etiam in mulieribus non gravidis, vel multo ante jam partum enixis, et in viris extremitates inferiores vel alias partes, quas non peculiare illae e partu causae in eum proniores reddunt, occupat, hoc modo explicari potest, quod, communi illa in morbum proclivitate non deficiente, causae occasionales praecipue has partes et fortasse majori vi, quam in gravidis et puerperis necesse est, afficiunt.

Jam ad exponendas causas occasionales me converto. — Unam ex uberrimis et efficacissimis causis plerique scriptores quasi uno ore refrigerationem nominant. Qua interdum hunc morbum procreari, etsi negare non possumus, tamen ne justo plus ei tribuamus cavere oportet. Quodsi ea sufficeret ad gignendum phlegmasiam albam dolentem, haec ipsa profecto crebrius cerneretur. Quoties et gravidae

et puerperae refrigerationi exponuntur, et nihilominus a morbo liberae manent! Ubi mulieres, nudatis extremis partibus inferioribus, in partu jacent, ut in aedificiis quibusdam obstetriciis accidere solet, refrigeratio esse morbi causa facilius poterit. Unam equidem hoc malo laborantium, quas ipse observavi, hoc modo, cum diu in lecto parturientium versari oporteret nec non denique forcipis ope foetus protraheretur, in morbum incidisse, censeo. —

Praeterea nonnullae, quae in partu ipso accidunt, res causarum occasionalium vim habere possunt. Huc referuntur: si infantis caput solito majus atque crassius, in pelvi minore, praesertim si arctior est, diutius moratur, quo vasa pelvis lymphatica et comprimantur et irritentur; si difficiles sunt et forcipe adjuvandi partus, si excerebrationes, vel alia fiunt, quo uterus nimis laeditur et vaginae parietes atteruntur; denique si magni labores praecipue extremitatum inferiorum in partu aegrotam debilitant. — Lactis secretio eo, quod lac in mammis secretum non exsugitur, turbata vel suppressa lochiaque retenta, nisi deest in morbum proclivitas, causae occasionales fieri possunt. Quod in aegrotis non semper lactis secretio turbatur, hanc sententiam non refellit; quod vero interdum revera impeditur, non firmare sententiam videtur, praesertim cum in tot morbis lactis irregularis secretio fiat. Sed, cum sciamus, idcirco illas secretiones a natura esse institutas, ut, nimis auctam in graviditate systematis reproductivi actionem, intra puerperium cum ceteris organismi actionibus exaequent, intelligi levi negotio potest, iis turbatis vel suppressis, cum omnino morbos cujuscunque generis, tum, si praeiores in hunc morbum mulieres sunt, praecipue phlegmasiam albam dolentem gigni posse; id, quod in iis casibus, ubi aliae causae inveniri nequeunt, statuere

quasi coacti sumus. — Nec non praeterea inprimis, si illa, quam supra descripsi, proclivitas in morbum praevallet, cibi et potiones valentiores nimisque irritantes, maxime in puerperio sumtae, et denique, quae aegrotarum gravius commovent animos, ut ira, terror etc., in causas occasionales reponi, nec immerito, possunt. —

Quod ad causam proximam attinet, ad quam explicandam jam progrediar, tantam de hac inter auctores dissensionem, tantam opinionum varietatem invenimus, ut, quem sequamur, decerni haud facile possit.

Moriceau ¹⁾, a lochiis retentis, *Puzos* ²⁾, a lactis in illum locum, ubi morbus exoritur, metastasi, potissimum proficisci phlegmasiam albam dolentem putabant. Hujus sententiae *Leuret*, *Sauvages* et multi alii Franco-Galli assentiunt. Quodsi vero auctores illi non perperam judicassent, lactis secretionem vel lochiorum fluxus semper esse suppressos oporteret; quod experientia non probatur, quae contra, rarissime vel nunquam fere illorum suppressionem fieri docet; porro nunquam viri aut mulieres non gravidae vel partum diu antea enixae in eum morbum inciderent. Neque praeterea illarum secretionum suppressio tam anteire morbum, quam potius subsequi videtur; vel si illud esset omnino referri in remotarum causarum numerum necesse est. —

White ³⁾ causam proximam in obstructione vasorum lymphaticorum cruris, ubi sub ligamento Poupartii pelvim adeunt, positam ducit; obstrui vero in partu facillime ait infantis capite prominentes ossium pubis lineas premente, quo vasa lymphatica

¹⁾ l. c. pag. 446.

²⁾ l. c. pag. 344 et 345.

³⁾ l. c. pag. 39 — 41.

hîc sita comprimantur et humores stagnet, vel interdum nonnulla vasa rumpantur.

Omissis vero aliis rebus huic opinioni contrariis hoc refutari *Whitii* sententiam censeo, quod et extra puerperium feminae, et viri phlegmasia alba dolente laborant et quod non inferiores solum, sed etiam superiores, extremitates invadit. —

David Davis 1) inflammationem unius vel plurium majorum pelvis et huic proximarum venarum esse causam proximam contendit, qua membranae earum crassiores fiant, novae in interiore earum superficie enascantur, sanguis concreseat, ac interdum suppuratio, quae totam vasorum structuram deleat, subsequatur. Hoc tantopere vasorum lumina imminui, vel interdum ita occludi, ut ingestum ipsis ex inferioribus ramulis sanguinem amplius ferre non possint. Ad comprobandam vero firmandamque suam opinionem quatuor hucusque morbi historias, totidemque hominum eo extinctorum, sectiones refert. Cujus tamen sententiae ne acquiescere possimus, multa profecto impediunt, obstantque. Nam:

1) historiae morbi, quas *Davis* enarrat, non satisfaciunt, neque, cum vel negligenter scriptae, vel ab observatione non satis accurata profectae sint, morbi imaginem ante oculos ponunt, ita, ut haud sciam, num credere liceat, morbum observatorem fefellisse.

2) Dissecta cadavera inflammationem quidem venarum ostenderunt; sed unde, hoc princeps malum, non ex alio priori exortum fuisse, conjicitur?

3) Cadaveris sectio, a *Casper* relata, non venarum, sed potius vasorum lymphaticorum inflammationem commonstrabat.

4) Etiamsi vero haec opinio vera esset, pete-

1) l. c. pag. 215.

rem adhuc, cur dolores in crure et poplite, quo venarum inflammatio non extensa est, saepissime maximi sint, et cur tumor interdum a pede exordiatur?

5) Experientia docet, venarum inflammationem longe aliis symptomatibus stipulari et multo aliter decurrere et exire ac phlegmasiam albam dolentem. — Venarum inflammatio multo vehementius et acutius incipere, celerius decurrere, et, siquidem gravius inflammatio est, cum vehemente febre synochica consociata esse solet, quae omnia a nostro morbo aliena sunt. Neque non ille venarum morbus, si magis extenditur, proximas quoque partes afficit et clarius prae se phlegmones symptomata fert. — Suppuratio, abscessus ex congesto pure aborti, oedemata purulenta, gangraena et mors non inter rarissimos venarum inflammationis exitus referuntur, cum contra in phlegmasia alba dolente rarissime aut nunquam observantur. Illius modi exempla *Hunter, Abernethy, Meckel* multa proferunt. — *Reil* casum prodit, qui memoratu sane dignus est: „Mulier quaedam abortum mense septimo fecerat, atque placentam manu ob nimium sanguinis ex utero fluxum solvi oportebat. Paulo post febris, miliaria, dolores in lumborum regione et pelvi accedebant. E partibus genitalibus et ano pus effluebat. Femina cum emortua esset, cadaveris sectio inter uterum et vaginam abscessum, qui in intestinum rectum apertus erat, ostendit. Venae spermaticae, uterinae, tota vena renalis dextra et magna venae cavae inferioris pars inflammatae erant; nec non illae pure scatebant.” — Magni momenti historia morbi illius venarum a *Meckelio* exposita est. Femina scrophulosa foetum decem librarum pondere enixa, post partum vehementem febris accessionem cum vagis ventris infimi et pelvis doloribus junctam

habebat: quae omnia post aliquod tempus disparuerunt. Tertia a partu hebdomade denuo febris cum erratico typo, sputo viridi, dolore in hypochondrio dextro et regione inguinali sinistra puerperam invasit. Quae cum mortua esset et cadaver dissectetur, in abdominis cavo purulentae lymphae magnam copiam invenit; hepar tumidum, pulmones integri erant. Vena cruralis sinistri lateris a poplite usque ad pelvim inflammata erat, ejus membranae justo crassiores, dissectae stridebant; cavum pure repletum, valvulae vel suppuratione deletae, vel crassiores factae cernebantur. — Experimentis a *Sasse* in animalibus institutis observationes illae confirmantur. — Jam cum igitur venarum inflammationes aliis symptomatibus, ac iis, quae phlegmasiae albae dolenti propria sunt, stipulari soleant, et hoc ipso denique et aliis argumentis supra expositis sententiam de causa phlegmasiae albae dolentis proxima a *Davis* propositam confutari omnino censeo.

Hull in inflammatione nervorum et vasorum sanguiferorum primi ordinis et telae cellulosaе, qua efficitur, ut magna seri et lymphae plasticae copia celeriter e vasis affectae partis exhalantibus, diffundatur, causam proximam ponit. — Quodsi verum esset, tamen unum harum partium genus profecto primaria inflammatione laborare et serius tantum alias illi proximas partes eadem corripere necesse esset. Telae cellulosae autem inflammatio tumorem rubicundum efficere plus minusve doloris cedere, et tactu massae paniceae incoctae similis sentiri solet, quod in pseudo-erysipelate, cum telae cellulosae inflammationis naturam induit, observare possumus. Vasorum sanguiferorum vero inflammatio longe aliis symptomatibus ac morbus noster significatur, quod jam in confutatione sententiae a *Davis* statutae e parte ex-

posui. — Arteriae inflammatae symptomata venarum inflammationis gravioris et vehementioris exerunt et eosdem fere exitus habent; addas vero oportet, quod in hoc morbo ea pars, cujus nutritioni inflammata arteria praeest, crebro demoritur, — Inflammatio nervorum vehementes quidem dolores per totum eorum decursum comites habet, nunquam tamen tantum tamque durum et elasticum, sed plerumque minorem, oedemati affinem tumorem gignit. —

Albers ¹⁾ a morbo nervorum, qui ab inflammatione vero multum discrepat, causam proximam deducit, neque tumorem ex illa nervorum affectione enasci negat. Jam vero cum non explicet, qualis haec nervorum affectio sit; quid sibi velit, nescio. Ceterum vero illa argumenta, quibus suam sententiam confirmare et illam de vasorum lymphaticorum inflammatione opinionem refellere studet, firma omnino non sunt. Dicit enim:

1) tumorem nunquam non dolores et sublata affectae partis mobilitas antecedunt.

2) Cum jam increscit tumor, dolores, sed mitiores facti, perdurant.

3) Ubi dolores omnino fere disparuerunt, diu claudicatio vel paralysis relinquitur; quae res minutae vasorum resorbentium actioni male tribuitur, quamquam tumor quoque etiam remoto dolore permanere potest.

Quomodo haec omnia vero contra inflammatoriam morbi naturam pugnent, haud intelligo.

4) Observamus in puerperis, inquit, vehementissimos dolores exoriri, tumorem autem non sequi. —

Num haec phlegmasia alba dolens est?

¹⁾ l. c. pag. 165.

5) Adhibita sanguinis missio, si morbum imminuit non nisi moderatiorem febris motum reddi. —

Quod si verum esset, unde, sanguine tempestive missio, omnium symptomatum remissionem fieri explicares?

Dr. *Reuter* ¹⁾, de causa morbi hujus proxima cum *Cel. Himly* consentiens, hoc modo de eadem disputat: „morbum inflammationem esse rheumaticam, quae juxta cum tunicis fibrosis, quarum in loco affecto, maximam deprehendimus copiam, neurilema sibi occupat nervorum, quorum haec regio ditissima est; ita, ut morbi similitudo quaedam appareat, cum malo isto, quod nomine ischiadici perhibetur, neque tamen ea dispareat forma, qua affectionem rheumaticam dicere licet, gravitatis tamen statu modificatam.”

Praecipua, quibus sententiam illam secutus *Reuter* confidit, argumenta haec potissimum sunt, quibus refutandis jam studebo:

1) Morbus plerumque refrigeratione exoritur. Hanc opinionem non tam in argumentis, quam in quorundam virorum auctoritate nisam et neque rationi neque experientiae consentaneam esse, jam in causarum occasionalium expositione supra demonstravi.

2) Rheumatica febris natura; quam e frequente, duro et pleno pulsu (qui plerumque, ut jam in enumeratis morbi symptomatibus exposui, deest), e vespertinis accessionibus (omni scilicet feбри propriis), e turbata intestinorum concoctioni inservientium actione (quae plerumque ita corrumpitur, ut febrem gastricam gignat) et ex ejus a refrigeratione ortu (quibusnam argumentis probato?) facile cognosci posse putat. —

¹⁾ Dissertatio inauguralis de Phlegmatia alba dolente. Berol. 1826. pag. 17.

3) Concedens vero, phlegmasiam albam dolentem sub alia ac rheumatici affectus forma observari, et tumorem in illa permagnum atque exitus rheumatismo non proprios e nimis aucta per graviditatem et paullo post partum nondum imminuta procreandi facultate explicare studens, nihil aliud affirmat, nisi morbum illum esse inflammationem rheumaticam posse, quae opinio non ita in promptu est, ut argumentis non egeat; praesertim cum in viris quoque, virginibus et mulieribus, quae multo ante jam partum ediderunt, morbus observetur. Caeterum et gravidae feminae et puerperae cujusque constitutionis rheumatica inflammatione correptae cernuntur, quae vero eundem decursum eademque symptomata habet, quibus rheumatismus in aliis non gravidis mulieribus stipulari consuescit. —

Cum igitur has opiniones, quae plurimum valuerunt et adhuc ex parte valent, a doctissimis viris propositas, in medium protulerim et earum confutationi operam, quam potui, maximam dederim, denique ad sententiam pervenio, quae jam pridem ab aliis scriptoribus (*Trye, Ferriar, Petit, Moore, C. W. Hufeland*) excogitata, recentioribus vero temporibus a *Casper* et *Struve* ingeniose defensa latiusque tractata est. Cuncti illi auctores inflammationem vasorum absorbentium ut causam proximam phlegmasiae albae dolentis accusant. — *Trye* vi quadam premendo agente vel resorptione acris cujusdam materiae inflammari vasa illa, et ex hoc obstrui putat. — *Casper* in quibusdam casibus fortasse etiam telae cellulosae inflammationem esse causam proximam posse opinatur.

Struve ¹⁾ ita disputat:

1) „consistere causam proximam phlegmasiae

¹⁾ l. c. pag. 59.

„albae dolentis in inflammatione systematis vasorum lymphaticorum;”

2) „eam hujus systematis partem hac corripere in inflammatione, rarissimis exceptis exemplis, cujus vasa ad inferiorem corporis partem tendunt; qua re fere nunquam ea vasa lymphatica hoc morbo afficiuntur, quae supra plexum lumbarem ad diversas corporis partes distribuuntur;”

3) „dispositionem aliquam huic inflammationi occasionem praebere;”

4) „consistere hanc dispositionem in irritatione hujus partis systematis lymphatici vel sine vel cum debilitato ejusdem vigore, quae plerumque per graviditatem et insequentem partus actum praeparetur, sed etiam extra puerperium locum habere possit.” —

Quae *Struovi* opinio, cum neque contra rationem, neque contra experientiam pugnare mihi videatur, non possum, quin eidem assentiar, cum censeam optime morbum cognovisse. Argumenta vero, quibus ille nititur, aequae numero ac firmitate ita elucent, ut aliqua illis adjicere profecto difficile putem. — Inflammatoriam morbi naturam esse, testantur:

1) Cuncta pathognomonica inflammationis symptomata, sana mente facile percipienda. Neque dolor neque tumor deest; calor praeter naturam adauctus, laesa partis affectae functio est; quodsi vero rubor plerumque non cernitur, id non huic sententiae contrarium est, sed nonnisi testatur, fomitem morbi altius sub cute insidere.

2) Exitus morbi. Exsudatio enim, induratio, suppuratio et gangraena, quarum una morbus ex consuetudine finitur, ab inflammatione proficiscuntur. —

3) Si de morbi natura ex juvantibus et nocentibus aliquid conicere licet, inflammatorium hunc

morbum esse, eo fortasse probatur, quod curatio antiphlogistica sola plerumque aegrotantes sanavit.

Phlegmasiam albam dolentem vero revera in inflammatione vasorum lymphaticorum consistere, eamque a plexu lumbari horum vasorum exordiri solere, plura argumenta confirmant; nam:

1) propria morbi phaenomena, prae ceteris dolor, tumor et calor, iisdem in locis, ubi vasa lymphatica deprehendis, apparent. Dolores ibi vero vehementissimi sentiuntur, ubi magna vasorum lymphaticorum copia vel glandulae lymphaticae inveniuntur. Quod, ubi morbus extremitatum inferiorum alteram occupavit, dolores interdum nervum cruralem prosequuntur, huic opinioni non repugnat, sed levi negotio sympathica nervi affectione explicatur, quae, cum ejus ramuli inter vasa lymphatica expandantur, facillime gignitur.

2) Morbus cum plerumque a regione luumbari et ventre infimo originem ducat, a ratione non alienum videtur, putare, eum a plexu lumbari vasorum lymphaticorum exoriri.

3) Causae morbi, praecipue praedisponentes, illam opinionem adjuvant, ut jam in aetiologia exponenda supra memoravi.

4) Symptomata inflammationis vasorum lymphaticorum et glandularum hic exhiberi possunt. Glandulae vasorum lymphaticorum tument, dolent, atque interdum, si superficiei proprius sitae sunt, rubent; neque minus vasa lymphatica ipsa dolentia, tumida, interdum rubicunda, dura atque nodosa inveniuntur. —

Vasorum lymphaticorum functionem laesam atque resorptionem impeditam esse, plerumque observamus: quod profecto ad gignendum tumorem confert. — Quod denique hunc ipsum attinet, non impedita solum resorptione, sed etiam exudatione

in telam cellulosa, exitu vasorum lymphaticorum inflammationis, eum exoriri censeo. —

Jam si vasorum resorbentium inflammationis phaenomena non semper observantur, causa in eo posita est, quod in his casibus vasa altius recondita inflammatione laborant.

5) Transire phlegmasiam albam dolentem in abscessum lymphaticum, interdum observatur, qui exitus optime nostram opinionem defendit.

6) Cadaverum sectiones a *Davis* relatas ad confutandam hanc de causa proxima phlegmasiae albae dolentis opinionem minime esse idoneas, jam supra exposui.

Dum vero vasorum lymphaticorum inflammationem causam phlegmasiae albae dolentis proximam statuo, minime negaverim, alia quoque organa et systemata interdum inflammatione postea corripri posse; quod quidem fieri, experientia compertum est.

Illa igitur de causa proxima nostri morbi opinio verisimillima mihi esse videtur, quanquam non diffiteor, eam non ex omni parte satisfacere. Phlegmasia alba dolens enim proprii aliquid habet, quod non satis explicare possumus, et quod ab aliis vasorum lymphaticorum inflammationibus eam discernit neque ad puerperium solum referendum est; cum et extra id morbus occurrat. Accuratori causarum remotarum cognitione haud dubito, quin hujus morbi natura magis illustrari possit. De illis *White* ¹⁾ ita disserit:

„Frauenzimmer, die ihre völlige Stärke haben so wohl, als die, welche durch Ausleerungen geschwächt worden; die einen so mäfsigen Fluß der Kindbetterinnenreinigung hatten, als auch die, bei welchen er heftig war; die, welche selbst säugen, und die, welche nicht

¹⁾ l. c. pag. 11.

„selbst säugen, sie mögen ihre Brüste haben aussaugen
„lassen oder nicht, mögen viel oder wenig Milch haben,
„sind diesem Zufalle ausgesetzt. Er befällt Frauen, die
„auf den Knien entbunden wurden, sowohl als jene, die
„es auf der Seite liegend wurden: bei letzteren hat man
„bemerkt, dass er sich gemeinlich an der Seite äußert,
„worauf sie zur Zeit der Entbindung lagen. Reiche und
„arme, gesunde und solche Frauen, die von chronischen
„Krankheiten gelitten, starke und schwache, magere und
„fette, diejenigen, welche eine sitzende Lebensart führen
„oder arbeiten, junge und Weiber von mittlern Alter;
„nach der ersten oder jeder andern, natürlichen oder
„widernatürlichen Geburt, werden davon befallen.“

PROGNOSIS.

Alii scriptores prognosin nimis infaustam statuunt, alii, ut *White*, *Wyer*, *Struve*, justo leviores morbum habent. Nam cum ex iis inflammationibus, quibus puerperae tentari saepius solent, levisima fere sit, tamen ob sequentem chronicum decursum et infaustos exitus periculosus ac molestissimis morbis adnumerari debet. Mortem puto rarissimum morbi exitum habendam; attamen febre morbum prosequente, suppuratione profusa et gangraena adduci potest. Plerisque hoc morbo extinctis phlegmasia alba dolens ipsa mortis causa non erat. Huc quidam casus a *Davis* et *Struoe* enarrati referri debent. Gangraena nostrum morbum finiri, rarius observatur. Suppuratio vero crebrius incidit, et si longius durat viresque debilitat, sane infausta habenda est. — Neque rarum est, tumores nullo fere remedio fugandos, indurationem et debilitationem partium affectarum; musculorum contractiones, et claudicationem relinqui; quae omnia malum exitum indicant. — Cum affectiones pulmonum vel intestinorum ventris nostro malo junguntur, prognosis

dubia nominanda. — Multo perniciosior morbus redditur, si eandem partem bis invadit, vel ex ea in aliam migrat, etiam magis, si eodem tempore multas partes, quid quod *Meisnero* auctore, dimidium corpus occupat.

HISTORIA MORBI.

A. B. puella, annos viginti quatuor nata, corpore debili habituque scrophuloso, prima aetate variolis laborabat, posteaque saepius intumescentiis glandularum scrofulosis atque oculorum inflammationibus vexata, ex eo tempore autem implicita nullo morbo erat. — Anno MDCCCXXV primum gravida facta per totum graviditatis tempus optime se habebat. Cum vero XIII die M. Decembris A. MDCCCXXV partus appropinquaret, parturientis labores praeceps infantis, caput vix ad mediam pelvis aperturam propellebant; deinde vero omnis ad edendum partum contentio deesse coepit; atque coarctatum in media pelvis apertura infantis caput duas fere per horas ibi persistebat, donec post bidduum valde difficilem partum forcipis ope alacris puella incolumis, sanaque protrahebatur. In evolviendo vero foetu ruptura perinaei imperfecta oriebatur. — Die XVI M. Dec. febris lactea intravit, quae non ita gravis vespertinis exacerbationibus vehementi in anteriore ossis sacri superficie, dolore alvique fluxu ad vicesimum usque diem permanebat. — Postridie horror aegram accedebat, qui vero post semihoram calori vehementiori cedebat. — Eodem tempore aegrotata de cephalea, siti nimia, ciborum fastidio atque doloribus in osse sacro vehementissimis, quos ipsa a perpetua in lecto parturientium cubitura ducebat. — Lingua muco albido oblecta atque humida erat; praecordia intenta, pulsus frequentes, parvi, duriusculi. Praeterea languore
aegrotata

aegrotata tenebatur, mammae paullulum concidebant, lactis secretio imminuebatur, lochiorum vero fluxus sane erat ordinatus. Die XXI M. Dec. aegra admodum exaltata erat atque magna laborabat imbecillitate; caput grave, dolores in ossis sacri regione valde adaucti erant. Quae antea conspicua erant symptomata gastrica, nunc fere deerant: at diarrhoea foedi odoris et dolores in regione hypochondriaca et inguinali sinistra accedebant. Fundus uteri $1\frac{1}{2}$ " super arcum ossium pubis digitis attingi poterat, tactuque dolebat. Genitalia vehementissimo calore ardebant, lochia fluebant: ruptura perinaei sanescere coepit. Cutis humida erat, pulsus frequens, intentus, non durus. Urina pauca et rubra, lactis secretio parca erat. — Febris a die XXIII usque ad XXV vespertinis exacerbationibus durabat, doloribus in ossis sacri regione et ventris infimi valde imminutis, diarrhoea pari modo durante. —

Ad vesperam diei XXIV aegra inquieta, sitis et calor vehementior, cutis arida fiebat; atque pulsus parvus, duriusculus, centies sexagesima horae parte redibat. Caput dolebat, lingua livida humidaque, ventris fluxus paullulum coërcitus erat. Venter inferior et labium pudendorum sinistrum intumescebant et dolebant. Dolores praecipue in ossis sacri regione aucti; lochia parce fluebant, lactis secretio suppressa. In genu sinistro tumor exiguus enascebatur, qui praecalidus, nitens, albus, digito admoto resistens erat tactusque dolebat. Inde dolores usque ad regionem inguinalem tendebant.

D. XXV M. Dec. infimi ventris dolores multum remiserant, in regione inguinali sinistra autem imminuti perseverabant. Genu sinistri tumor et major erat et magis superne progressus. Crebrae alvi dejectiones, tenues, fuscae, foetidissimique odoris erant. —

D. XXVI M. Dec. aegrotae valetudo in deterius mutata erat; nocte antecedente deliraverat, paulumque dormiverat. Caput multo sanguinis confluxu et calore magno conspicuum erat; cutis sicca et quasi ardens; lingua mucō albedo oblecta, humidaque, ciborum appetentia exilis; alvi excretiones crebrae pravique odoris; urina pauca, turbida; respiratio celeris; pulsus parvus, mollis, centies vicies sexagesimae horae partis spatio rediens. Venter infimus sine dolore, modice intentus; genu tumor ut antea erat.

D. XXVII M. Dec. febris remissa, alvi dejectiones minus frequentes, sed foedi odoris erant; urina sedimentum mucosum habebat. Genu tumor, quem jam antea descripsi, ambitu et tensione auctus erat; atque dolores a regione inguinali sinistra ad suram usque extensi erant. Glandulae inguinales ejusdem lateris tumidae erant doloremque ciebant.

D. XXVIII pulsus multo erant rariores, cutis humida, sitis modica. Digestio autem plane erat turbata; magnum ciborum fastidium, alvus adstricta, viresque aegrotae valde imminutae erant. Lactis secretio et lochiorum fluxus parca tardaue erant; genu sinistrum, ut antea. —

D. XXXI M. Dec. morbus exasperabatur, postquam aegra, praeter exiguum cruris sinistri dolorem febremque exilem, bona erat bidua valetudine gavisita. Febris vespertino tempore solito magis increcebat et dolores crus pedemque sinistrum occupabant, praecipue in regione inguinali et poplite vehementes erant. Tumor paullulum increverat.

D. II M. Januarii A. MDCCCXXVI intumescencia dimidium fere femur occupaverat; deorsumque decrescens usque ad malleolos tendebat. Intenta admodum erat, nitore candente, digito admoto

renitens, tactaque valde dolebat; in poplite et interiore femoris latere maculae tres purpureo nitidoque rubore conspiciebantur. Femur moveri non potuit. Aegra de languore querebatur; corpus multum sudabat atque febris inprimis sub vesperam aegrotam magno cum impetu invadebat.

A III usque ad VI d. M. Jan. tumoris ambitus ita auctus erat, ut affectum crus duplo crassius esset, quam sanum. Dolores in poplite et sura vehementissimi erant. Hic et in interiore femoris latere glandulae tumentes tactu percipi poterant. Maculae rubrae, quas supra commemoravimus, disparuerant; febris modo exasperabatur, modo remittebat.

A VII usque ad XI d. M. Jan. femoris morbus mutatus omnino non videbatur. Dolores per femur in pelvem extensa eademque quam antea vehementia erant. Tumor inaequalis et in anteriore parte singulis locis duriusculus erat. Febris durabat. Macies et debilitas aegrae valde increverant.

Die XIII M. Jan. calor et dolores praecipue in poplite aucti erant; aegrota hoc loco ne levissimam quidem contrectationem ferre poterat; unde fiebat, ut moveri crus omnino non posset. In poplite tumor maxime prominebat ibidemque maxime intentus apparebat. — Pulsus ut antea febrilis (nonagies enim, vel centies decies, sexagesima horae parte recurrebat), celer, parvus et mollis; calor inprimis post coenam et sub vesperam saepius ardens; cutis vero plerumque humida et mollis erat. Lingua pura, singulis partibus solito rubrior, interdum sicca, plerumque autem humida conspiciebatur; appetitus exilis, alvus secundum naturam, lactis secretio parva erat. Lochiorum fluxus sistebat. Infimus venter

intentus aliquantulum, at sine dolore erat. Uterus in pelvim infimam deciderat.

D. XVIII tumor totius cruris paullulum decreverat; tensio et calor ejus multo minor erat: moveri tamen femur affectum nondum sine magno incommodo poterat. Pulsus frequentiam quidem febrilem prodidit: nihilominus tamen aegrotata multo melius quam antea se habebat.

D. XXII morbum decrevisse, perspicere luculentius licebat. Femoris quoque tumor ita collapsus erat, ut nonnisi genu proximasque huic femoris et cruris partes amplecteretur. Tumoris calor insitam natura corpori temperiem paullulum modo excedebat; dolores modici erant. — In femore plura loca duriuscula tactu erant: glandulae inguinales integrae esse videbantur. Jam moveri aliquantulum partes affectae poterant; ciborum appetentia augebatur; febris paene disparuisse videbatur.

D. XXVI Jan. tumor etiam decreverat nec nisi genu partemque cruris superiorem complectebatur. Tensio ejus in poplite tantum et proxima surae parte remanserat; alias plane disparuerat. In loco autem intento tumor prominens, parum durus, calore autem ardente sentiri poterat. Febris debilis, digestio melior, somnus placidus evaserat. Sudores imminuebantur. Vires incresebant.

D. XXXI M. Jan. valetudinem ire in melius, perspicuum erat. Tumor infra poplitem discuti videbatur, cum concidere et calorem immodicum dimittere coepisset. — Genu tumor vix commutatus erat; duritiem autem quandam induxisse videbatur. Mobilitas cruris aucta erat. Aegrotata nunc ex toto a febre liberata crus sinistrum quasi emortuum querebatur.

A I. usque ad XVI d. M. Februarii malum in

extremitate inferiore sinistra exiguam tantum subierat mutationem. Genu erat tumidum et tumoris albi prae se similitudinem ferebat atque vehementer dolebat, magna autem duritie differebat. In femore et crure plures parvi tumores atque in interiore femoris latere percipi tactu quasi filum durum poterat. Musculi, praecipue flexores cruris, contracti erant; moveri membrum affectum nonnisi paululum poterat. Minor autem sensibilitas in crure et femore adhuc remanserat. — Febris autem hectica cum affectionibus pectoris, angore, tussi atque excretionibus pituitosis accesserat. Aegrotans somno irrequieto nocturnisque sudoribus cruciata, defatigationem summam sentiebat.

Usque ad XXII d. M. Febr. genu ipsum paululum detumuerat; tumor autem infra poplitem mollior erat factus. Aegrotans debilitatem crescentem querebatur, valdeque emacescebat; nec non febris durabat.

D. XXVIII M. Febr. valetudo aegrotans ex toto melior, sputorum copia et febris minutae erant, nocturnique sudores desierant. —

Mense Martio pulmonum affectiones atque febris hectica disparebant. Tumor autem infra poplitem eadem, quam antea, magnitudine, genu rigens atque inflexibile erat, neque minimum motum sine magno dolore concedebat.

Mense Aprili multo melius ex toto aegrotans se habebat. Genu tumidum nominari vix poterat; singula, quae supra memoravi, loca in femore tactu duriuscula evanuerant. Tumoris autem in surae superiore parte magnitudo ita accreverat, ut anatis ovum aequaret; durus erat, doloresque ciebat. D. XI M. Maji tumor ruptus magnam ichoris et sanguinis telaeque cellulosa degeneratae copiam effundebat. Sub finem mensis

Maji ulcus sanaverat. In parte superiore autem surae, ubi ulcus fuerat, induratio telae cellulosae sub cute circumque genu remansit. Induratio usque ad mensem Augustum vix imminuta erat. Ineunte vero mense Augusto induratio illa denuo in abscessum abibat, qui cataplasmatum emollientium continuato circiter duodecim dies usu rumpebatur; atque e parva, rotunda apertura plures unciae puris tenuis, lutei sanguineque commixti effluebant. Mense praeterlapso abscessus sanarat nec non flexorum cruris contractura, accommodata malo curatione, valde remiserat: quin vero ad integritatem crus perveniat, jure dubitaverim. —

CURRICULUM VITAE

EX DECRETO

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS BEROLINENSIS

ADJECTUM.

Ego, HENRICUS GOTHOFREDUS GRIMM, XI d. a. Cal. Julii A. MDCCCIV Sargstedii prope Halberstadium patre optimo, Chirurgo practico forensi apud Mühlhusienses, et matre carissima e gente POPPIANA natus et Evangelii confessioni addictus sum. Primis literarum elementis informatus, inde a M. Aprili A. MDCCCXVII scholam Halberstadiensem frequentavi, quae Dre. MAASS directore aestumatissimo floret, ibique quatuor per annos et dimidium iis literis, quae ad studia academica viam muniunt, operam navavi. A. MDCCCXXI Mense Octobri Berolinum me contuli et numero alumnorum seminarii regii med. chirurg. militaris Frider. Guilelmi adscriptus per quadriennium in medicinae utriusque studium incubui. Hoc temporis spatio hisce interfui praelectionibus. Ho-degeticen, Logicen et Psychologiam Cel. WOLFF; historiam naturalem et Botanicen Illustr. LINK, Zoologiam Cel. LICHTENSTEIN mihi tradidere. Encyclopaediae medicae, Anatomiae universae nec non organorum sensuum, Anatomiae comparatae, Entozoologiae et Physiologiae Illustr. RUDOLPHI praeceptore gavisus sum. Osteologiam, Syndesmologiam, Splanchnologiam, formulas medicas concinnandi rationem et Anthropologiam forenses Illustr. KNAPE me docuit. Idem et Illustr. RUDOLPHI in arte cadavera rite dissecandi me instituerunt. Physicem, Chemiam et Pharmaciam Cel. TURTE et Illustr. HERBSTAEDT me tradidere. De Physiologia tam generali quam speciali Cel. ECK, de vita vegetativa Cel. HORTEL dissèrentes audivi. Frequentavi praelectiones Cel. OSANN de materia medica tum generali tum speciali, Illustr. HORN de Pathologia speciali, de morbis

mentis ac syphiliticis, Cel. FR. HUFELAND de Pathologia generali, Semiotice et Therapia universali, Cel. SCHUBARTH de Toxicologia. Hippocratis Aphorismos Illustr. BERENDS et Celsi de medicina libros Cel. HECKER mihi exposuerunt. Therapia speciali, Semiotice Perillustr. C. W. HUFELAND me imbuunt. Chirurgiam generalem, fascias applicandi praecepta, de ossibus fractis et luxatis doctrinam, artemque obstetriciam Cel. KLUGE, de Ophthalmiatrie Illustr. GRAEFE, de Chirurgia generali et speciali Illustr. RUST lectionibus interfui. Akiurgiam Illustr. GRAEFE, RUST et KLUGE me docuere.

Adfui exercitationibus clinicis medicis, chirurgicis et ophthalmiaticis Illustr. virorum C. W. HUFELAND, GRAEFE, RUST, NEUMANN et KLUGE. —

His studiis peractis in nosocomio caritatis Berolinensi per annum medico-chirurgi inferioris munere functus sum.

Jam vero tentamine examineque rigoroso coram gratiosa medicorum facultate superatis spero fore, ut, dissertatione conscripta riteque defensa, summi in me medicinae et chirurgiae honores conferantur.

Quo facto Confluentiam, ad medici turmalis fungendum munus me conferre jussus sum.

THESES DEFENDENDAE.

1. *Phlegmasiae albae dolentis naturam in vasorum lymphaticorum inflammatione positam esse censeo.*
 2. *Curam symptomaticam nego.*
 3. *Placenta, haemorrhagia urgente, nisi foetum exclusum mox sequatur, manibus solvenda est.*
 4. *Excerebratio foetus adhuc viventis plane rejicienda.*
-